de pro tenore veritatis non deprecantis affirmatione datum judicem cognoſcere debere, & ſecundum hoc de cauſa convenit ferre ſententiam. Dat. Kal. Decembr. *Sirmii*, CC. CONSS. 294.

Si precum falſitas arguatur.

3. Imp. CONSTANTINUS A. ad Baſſum P. P.

PUniri [1] jubemus decem librarum auri multa judices, qui vetuerint precum [2] argui falſitatem. Dat. Kal. Oct. CONSTANTINO A. III. & LICINIO C. III. CONSS. 314.

De eo, cui executio mandatur.

4. Idem A. ad Pompeianum [3] Conſularem Campaniæ.

ET [4] ſi non cognitio [5], ſed executio mandatur, de veritate precum inquiri oportet [6]: ut, ſi fraus intervenerit, de omni negotio cognoſcatur. Dat. 3. Id. Novembr. *Aquis*, DALMATIO & ZENOPHILO CONSS. 333.

De mendacio.

5. Impp. THEODOS. & VALENTIN. AA. ad Senatum.

ET ſi legibus [7] conſentaneum ſacrum oraculum mendax [8] precator attulerit, careat penitus impetratis: & ſi nimia mentientis inveniatur improbitas, etiam [9] ſeveritati ſubjaceat judicantis. Dat. 7. Id. Novembr. THEODOSIO XII. & VALENTINIANO II. AA. CONSS. 426.

De his, quæ juri vel utilitati publicæ adverſantur.

6. Imp. ANASTASIUS A. Matroniano P. P.

OMnes cujuscunque majoris vel minoris adminiſtrationis univerſæ noſtræ Reipublicæ judices monemus: ut [10] nullum reſcriptum, nullam pragmaticam [11] ſanctionem, nullam ſacram adnotationem [12], quæ generali juri vel utilitati publicæ adverſa eſſe videatur, in diſceptationem cujuslibet litigii patiantur proferri: ſed generales [13] ſacras conſtitutiones modis omnibus non dubitent obſervandas. Dat. Kal. Jul. *Conſtan.* *

TIT. XXIII.
DE DIVERSIS [14] RESCRIPTIS [15] ET PRAGMATICIS [16] SANCTIONIBUS.

De cauſa communi.

1. Imp. ALEXANDER A. Supero.

SI [17] libellum de communi cauſa, tu fraterve tuus dediſtis: quamvis reſcriptum ad unius [18] perſonam directum ſit, utrique [19] tamen proſpectum eſt [20]. Datum Id. Jul. ALEXANDRO A. II. & MARCELLO CONSS. 227.

De duratione reſcripti.

2. Imp. CLAUDIUS A. Epagato.

FAlſo [21] adſeveratur [22], auctoritatem reſcriptorum devoluto [23] ſpatio anni obtinere firmitatem ſuam non oportere: cum ea, quæ ad jus reſcribuntur, perennia eſſe debeant [24]: ſi modo tempus, in quo allegari vel audiri debent, non ſit comprehenſum. Dat. 7. Kalend. Novembr. ANTIOCHIANO & ORPHITO CONSS. 271.

De originalibus & exemplis.

3. Impp. DIOCL. & MAXIM. AA. Criſpino Præſidi Provinc. Phœniciæ.

SAncimus, ut authentica [25] ipſa atque originalia [26] reſcripta, & noſtra etiam manu ſubſcripta [27], non [28] exempla eorum inſinuentur. Dat. Prid. Kal. April. ANNIBALIANO & ASCLEPIODOTO CONSS. 292.

De beneficiis perſonalibus ſine die & Conſule.

4. Imp. CONSTANTINUS A. ad Lyſitanos.

SI [29] qua beneficia perſonalia ſine [30] die & Conſule fuerint deprehenſa, auctoritate careant. Dat. 5. [31] Kal. Auguſt. *Samariæ* [32], PROBIANO & JULIANO VV. CC. CONSS. 322.

De adminiſtrationibus & dignitatibus.

5. Imppp. VALENTIN. THEODOS. & ARCADIUS AAA. ad Nicentium præfectum annonæ.

SAcrilegii [33] inſtar eſt, ſuper quibuscumque adminiſtrationibus vel dignitatibus [34] promulgandis [35], divinis obviare [36] beneficiis [37]. Dat. Kalend. Febr. *Mediolani*, ARCADIO A. & BAUTONE CONSS. 385.

De ſacro encauſto.

6. Imp. LEO, A. Hilariano magiſtro officiorum [38] & Patricio.

SAcri affatus, quoscumque noſtræ manſuetudinis in quacumque parte paginarum ſcripſerit auctoritas, non alio vultu penitus, aut colore [39], niſi purpurea tantummodo inſcriptione luſtrentur: ſcilicet ut cocti muricis & triti conchilii [40] ardore ſignentur: Eaque tantummodo fas ſit proferri vel dici Reſcripta in quibuscumque judiciis, quæ in chartis ſive membranis ſubnotatio noſtræ ſubſcriptionis impreſſerit. Hanc autem ſacri encauſti [41] confectionem nulli [42] ſit licitum aut conceſſum habere, aut quærere, aut a quocunque ſperare: eo videlicet, qui hoc aggreſſus fuerit Tyrannico ſpiritu, poſt proſcriptionem bonorum omnium capitali non immerito pœna plectendo. Dat. 6. Kal. April. JORDANE & SEVERO CONSS. 470.

De clauſula, Si preces veritate nitantur. 1. *De pragmaticis ſanctionibus.*

7. Imp. ZENO A. Sebaſtiano P. P.

UNiverſa reſcripta, ſive in perſonam precantium, ſive ad quemlibet Judicem manaverint; quæ vel adnotatio, vel quævis pragmatica ſanctio nominentur; ſub ea conditione proferri præcipimus [43], *Si* [44] *preces veritate nitantur*: Nec aliquem fructum precator oraculi percipiat impetrati, licet in judicio adſerat veritatem, niſi quæſtio fidei precum imperiali beneficio monſtretur inſerta. Nam & vir magnificus Quæſtor, & viri ſpectabiles Magiſtri ſcriniorum, qui ſine præfata adjectione qualecunque divinum reſponſum dictaverint: & judices qui ſuſceperint, reprehenſionem ſubibunt: Et qui illicite dictata ſcribere auſi fuerint, cujuscunque ſcrinii memoriales, ſeu pragmaticarii, vel adjutores primicerii, amiſſione cinguli feriantur. §. 1. Pragmaticas præterea ſanctiones non [45] ad ſingulorum preces ſuper privatis negotiis proferri: ſed ſi quando corpus, aut ſchola, vel officium, vel curia, vel civitas, vel provincia, vel quædam univerſitas hominum ob cauſam publicam fuderit preces, manare decernimus: ut in his etiam veritatis [46] quæſtio reſervetur. Dat. 10. Kal. Jan. *Conſtant.* poſt conſulatum BASILISCI II. & ARMATII. 477.

De ſubſcriptione Quæſtoris.

In AUTHENT. Ut divinæ juſſiones ſubſcriptionem habeant glorioſiſſ. quæſt. col. 8. tit. 15. al. 10. Novell. 114. cap. 1.

G*Lorioſiſſimi quoque quæſtoris ſubſcriptio eſt neceſſaria; in qua contineatur & inter quos, ad quem judicem, & per quem ſacrum dirigatur oraculum: alioquin a nullo judice ſuſcipiatur: & qui contra fecerit, xx. lib. auri plectatur, & ejus officium ſimili pœna percellatur.*

TIT. XXIV.
DE [47] STATUIS [48], ET IMAGINIBUS.

De Judicibus.

1. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Theodoro P. P.

SI quis Judicum accepiſſe æneas, vel argenteas, vel marmoreas ſtatuas [49], extra Imperiale beneficium, in adminiſtratione poſitus, detegetur: emolumenta, quæ accepit in ea poſitus dignitate, quam polluit, cum extortis titulis, vel præſumptis in quadruplum fiſco noſtro inferat: ſimulque noverit exiſtimationis [50] ſuæ pœnam ſe ſubiturum. † Nec eos ſane a periculo pudoris [51] haberi volumus immunes, qui adulandi ſtudio, aut metu inconſtantis ignaviæ

1 Pœna judicis non admittentis exceptionem adverſus ſubreptitium reſcriptum. 2 Preces etiam ſubſignatæ ab imperatore mendacii ſeu obreptionis argui poſſunt: nec ſit injuria Principi: ut qui falſum jurare nolle præſumatur. 3 Barbarum Pompeianum. 4 *l.* 4. *C. Theod. de reſcr. lib.* 1. 5 Puta evocatio. 6 A quo? ab ipſo judice executionis, qui non tantum facti executor, ſed juris. *Bald.* 7 Conjunge *l.* 7. *ſupr. de precib. Imperat. offerendis*: ita enim faciendum & inſcriptionum & ſubſcriptionum ſimilitudo oſtendit. *Mod.* 8 *l.* 2. *ſupr. h. t.* 9 Pœna mendacii nimii, id eſt, impudentis. adde *l.* 29. *D. ad leg. Corn. de falſ.* adde Paul. 1. *ſent.* 12. §. *penult.* 10 Omne reſcriptum cujuscujusmodi ſit, ad quemcunque judicem irritum eſto, ſi juri generali vel utilitati publicæ nocet. *Syn. Baſil.* 2. *tit.* 5. *c.* 19. *Nov.* 113. *c.* 1. 11 Pragmatica ſanctio ſit de conſilii ſententia, *l. ult. verſ. Sed in præſenti. infr. de prox. ſacror. ſcrin.* 12 Adnotatio ſacra ſit ad libellum breviter adnotato nomine Principis. 13 Conſtitutiones generales reſcriptis potiores.

14 Reſcripta alia jus faciunt, alia non faciunt: ſuntque vel perſonalia, generalia, perpetua, temporaria: alia valent, alia non valent: alia adnotationes & ſubſcriptiones ad libellum breves, alia pragmaticæ ſanctiones. 15 Περὶ βασιλικῶν ἀντιγραφῶν, 2. *Ecl.* 5. 1. *C. Th.* 2. adde ex jure Canonico 1. *decret.* 3. 1. *ſext.* 3. 1. *Clem.* 2. Papon. 3. *Notar.* 5. *fol.* 316. 318. & *ſeq.* Reb. *tom.* 2. *tract. de reſcript. ſeu literis regiis.* 16 *l.* 7. *in princ. infr. h. t.* Princeps in iis adhibito conſilio & tractatu, fuſius reſpondet ad preces, relationem vel ſuggeſtionem judicum, vel aliorum: & aliis quidem reſcriptis preces inſeruntur non pragmaticis. Auguſt. *in collat. tertiæ diei cum Donatiſtis*, vid. Cujac. *hic.* 17 Adde *l.* 1. *infr. ſi unus ex pluribus appellaverit.* 18 Reſcriptum communiter impetratum præſumitur utrique conceſſum. Beneficium collatum uni conſortium ad alium etiam pertinet. 19 *l.* 41. *ff. de reg. jur.* 20 Cur ita? præſumuntur in ſubſequentibus repetita, quæ in eorum præfationibus dicuntur, *l. lecta.* 40. *ff. de R. C. ſi certum. l. Titia.* 134. §. *idem. D. de verb. oblig.* 21 Reſcripta Principum perpetua ſunt, niſi certum tempus in eis ſpecialiter ſit definitum, *Synopſ. Baſilic.* 2. *tit.* 5. *c.* 21. 22 Jure civili ſcilicet, non Canonico, *cap. Si autem aliquis. de reſcript.* & *Gallico*, Guido *deciſione* 135. Rebuffus tamen *in proœmio conſtitutionum*, *gloſſ.* 5. *num.* 44. addit literas prehenſionis non tolli anno, unde vulgo dicitur, *prinſe de corps ne ſuranne jamais.* 23 Id eſt, exacto. Executio reſcripti perpetua eſt in dubio ut hic. An & ſententiæ executio? vid. Concenatium 1. *quæſt.* 6. 24 De qua re late Guido Papæ *quæſt.* 135. Felinus *ad cap. licet undique. col.* 2. *de offic. deleg.* Socinus Jun. *conſ.* 89. *ad fin. volum.* 1. Aret. *ad* §. *præterea. num.* 10. *Inſt. de except.* rurſum Felinus *ad c. cum acceſſiſſent. num.* 26. *de Conſtit.* Jacobum Menochium denique *de arbitr. Judic. l.* 2. *cent.* 3. *caſ.* 204. *n.* 2. & *caſ.* 202. *n.* 77. Mod. 25 Per authentica, non per exempla reſcriptum probatur. Authentica in multis aliis cauſis requiruntur, *l.* 8. *ff. famil. erciſc. l. ult. ff. quemadm. teſtam. l.* 2. *ff. de fide inſtrum. l.* 48. *ff. de act. empt.* penes quem eſſe debeant, ſucceſſorem aut heredem, vid. *l.* 4. §. 3. *l.* 5. *ff. familiæ*, creditorem, vid. *l.* 15. *in princ. ff. de reb. autorit. judic.* Quid ſi authentica aut chirographa pupillorum ſunt amiſſa, aut exuſta? debitores ex inventario conveniri poſſunt, *l.* 57. *in pr. ff. de admin. & peric. tutor.* 26 Αὐθεντικά. *Synopſ. h. t. c.* 22. 27 *l.* 6. *infr. h. t. c. dicenti. verſ. Sancimus.* 25. *q.* 2. 28 Exempla τὰ ἴσα. *Synopſ. h. t. dict. c.* 22. unde dicitur exempla inſtrumentorum non probare, niſi citata parte, & judicis commiſſione petita ſint. Caſtrenſ. *hic.* 29 *l.* 1. *C. Theod. de conſtitut. principum.* 30 Non valent reſcripta ſine die & conſule, *c. dicenti* 16. *verſ. Si qua.* 25. *q.* 2. niſi relata ſint in corpus juris. *Conſtit. de novo Codic.* §. 2. & *Conſtit. de Juſtinianeo Codice confirmando* §. 3. Hinc Auguſtinus, *in collatione tertiæ diei cum Donatiſtis.* Evidentiſſime legibus definitum eſt, imperialia conſtituta etiamſi conſules non legantur, in dubium non vocari, vid. Cujac. *hic*: his adde Papon. 3. *Notar.* 5. *cap. De la datte des reſcripts.* Sic dies & conſul in accuſatione & teſtamento inſeruntur, non in editione, vid. quæ not. ad *l.* 3. *ff. de accuſ.* 31 7. *C. Theod.* 32 Sabariæ, *C. Theod.* Recte. 33 Sacrilegii inſtar reſcriptis Principum adverſari, *Synopſ. Baſil. h. t. cap.* 34. adde *l.* 3. *infr. de crimine ſacrilegii.* 34 Puta tribunatu militari, centurionatu & ſimilibus: quæ Cicero, Suetonius & Lampridius vocant beneficia ad ærarium delata: & Hygenus adſcripta in libris beneficiorum, vid. Cujac. *hic.* 35 Id eſt, a nobis conceſſis. 36 Vid. *Novell.* 114. ſi judex eas contemnat. 37 Beneficia appellat adminiſtrationes & dignitates a Principe conceſſas. 38 Sub quo ſcrinia: quibus reſervatus Encauſti uſus. *l.* 3. *C. Theod. ad leg. Corn. de falſis.* 39 Et hic color *encautum* appellatur. *infr. h. t.* Cauteria legimus ad pictoris inſtrumentum pertinere. *l.* 17. *in pr. ff. de inſtruct. vel inſtrum. leg.* 40 Ita legitur apud Plinium 25. *cap.* 11. Nota formam *encauti* componendi. Sic Palæologus Imperator Conſtantinop. Romæ, in æde Spiritus ſancti, Eccleſiæ Romanæ ſubjectionem jurans Syngrapham, conchylii ſanguine a ſe ſubſcriptam teſtatam relinquit. Epitome Chronicorum Werveronis Leodienſis monachi apud Briſſonium. 41 Encauſtri. *Haloand.* Encauti *Cuj.* Encauti ſit mentio in *l.* 4. *C. Th. de extraord. muner. l.* 1. §. 1. *in pr. infr. de colleg. l.* 9. *infr. de agric. & cenſit.* Rhodig. 7. *c.* 11. Encautum ἐγκεκαυμένον. Græci etiam appellant σεβάσμια κεράια, σεβασμίας καὶ θεοειδεῖς κεραίας. *Goth.* Encauſti ſunt litteræ, ſeu ſigna, quæ reſcriptis Imperatorum imprimuntur. Padill. *h. l. num.* 8. Adde Panciroll. *Memorab. tit. de Encauſto*: qui dicit encauſtum eſſe atramenti genus quod ex purpura conficitur. Hoc ſoli Impp. privilegiis, & litteris ſubſcribendis utebantur. *Anſ.* 42 Facit *l.* 3. *C. Theod. ad l. Cornel. de falſis lib.* 9. 43 Innocentius vult hanc clauſulam, *Si preces veritate nitantur*, etiam ſubintelligi, quamvis non ſit expreſſa *c. ex parte.* 2. *extr. de reſcript.* vid. And. Gailium 1. *obſerv.* 14. 44 Ἐὰν τὰ ἀληθῆ ἐδίδαξεν, *Synopſ. Baſil. h. t. cap.* 20. adde *l.* 4. §. *ſi contra jus vel utilit. Novellam* 138. *in fin. Novellam* 158. *c.* 1. *in pr. l.* 5. *in fin. infr. ſi quis alteri vel ſibi.* 45 Πραγματικὸς θεῖος τύπος, *Synopſ. Baſil. h. t. c.* 27. ſacra pragmatica forma non ad ſingulorum, ſed ad corporis, collegii, civitatis & provinciæ preces profertur. 46 Τῆς ἀληθείας καὶ ἐπὶ τούτων σκοπουμένης, *Synopſis ibid.* ſic tamen ut in his quoque ſpectetur veritas.

47 De imaginibus Imperialibus, Cod. Theodoſiano *lib.* 15. *tit.* 4. 48 15. *C. Theod.* 4. 49 *l.* 2. *ff. de loco publ. fruendo.* 50 Fit infamis. 51 Id eſt, infamiæ

tranſi-

tranſire, quæ ſunt interdicta, tentaverint. Dat. 12. Kalend. Januar. *Mediolani*, HONORIO A. IV. & EUTYCHIANO CONSS. 398.

Quæ ſervantur in ſtatuis, vel imaginibus Principibus erigendis.

2. Impp. THEOD. A. & VALENT. C. Aëtio P. P.

SI [1] quando [2] noſtræ ſtatuæ, vel imagines eriguntur; ſive diebus [ut adſolet] feſtis, ſive communibus, adſit Judex ſine adorationis [3] ambitioſo faſtidio: ut ornamentum diei & loco, & noſtræ recordationi ſui probet acceſſiſſe præſentiam. Dat. 3. Non. Maji, THEODOS. A. XI. & VALENTINIANO Cæſare CONSS. 425.

De privata collatione.

3. Iidem AA. & C. Florentio P. P.

IN noſtræ Serenitatis imaginibus, ac ſtatuis erigendis privatæ collationis [4] injuriam propulſari præcipimus, ne quid in eis ſuum collator cognoſcat. Dat. 3. Non. Aprilis THEODOSIO A. XVII. & FESTO CONSS. 439.

De ſumptibus.

4. Iidem AA. & C. ad Nonum [5] Comitem, & Magiſtrum officiorum.

ET virtutum præmia [6] tribui merentibus convenit, & aliorum honores aliis [7] damnorum occaſionem fieri non oportet. Idcirco, quoties vel judicibus noſtris, vel cuilibet alii ſtatua fuerit a quocunque collegio, ſeu officio, vel in hac ſacratiſſima civitate, vel in provinciis poſtulata: nequaquam ex deſcriptione ſumptus colligi patimur; ſed ejus [8], cujus ad honorem petitur, expenſis propriis ſtatuam collocari præcipimus. Dat. 5. Kal. April. THEODOS. A. XVIII. & ALBINO CONSS. 444.

TIT. XXV.
DE HIS QUI AD STATUAS [9] CONFUGIUNT.

Qui confugerunt ad ſtatuas Principis ab omni violentia debent eſſe tuti. Salic.

1. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. Cynegio P. P.

QUi [10] ad ſtatuas, [vel] vitandi metus [11], vel creandæ invidiæ [12] cauſa, confugerint, ſi certas habuerint cauſas, quibus confugere ad Imperatoria ſimulachra debuerint: jure ac legibus vindicentur [13]. Sin vero probati fuerint artibus ſuis invidiam inimicis creare voluiſſe: ultrix in eos ſententia proferatur. Dat. Prid. Non. Jul. *Conſtantinop.* HONORIO N. P. & EVODIO CONSS. 386.

TIT. XXVI.
DE OFFICIO [14] PRÆFECTI [15] PRÆTORIO [16] ORIENTIS, ET ILLYRICI.

De libelli datione.

1. Imp. ALEXANDER A. Theodoro.

LIbellus Præfecto Prætorio datus, pro litis conteſtatione haberi non poteſt. Dat. Prid. Kalend. Octobris, AGRICOLA & CLEMENTINO CONSS. 231.

De formis P. P.

2. Idem A. Reſtituto.

FOrmam [18] a Præfecto Prætorio datam, etſi generalis ſit, minime legibus vel conſtitutionibus contraria; ſi nihil poſtea ex auctoritate mea innovatum eſt; ſervari æquum eſt. * Dat. Idib. Auguſt. SEVERO & QUINTIANO CONSS. 236.

De judicibus mutandis, & furibus puniendis, & relatione ad Principem.

3. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. Tatiano P. P.

SI quos Judices, vel [19] propter adverſam & longinquam corporis valetudinem, vel propter negligentiam [20], aut furtum, vel ſimile aliquod vitium Sublimitas Tua [21] inutiles eſſe repererit: his ab adminiſtratione remotis, & vice eorum aliis ſubrogatis: furibusque pœnis legitimis ſubactis, ad noſtræ Manſuetudinis ſententiam non crimina ſed vindicta referatur. Dat. 5. Id. Decemb. *Cap.* ARCAD. & BAUTONE CONSS. 385.

Cognitio de Judice ordinario.

4. Iidem AA. Addeo Comiti & Magiſtro utriusque militiæ.

DE ordinario judice ſemper illuſtris eſt cognitio Præfecturæ: licet militari viro ab eo facta fuerit injuria. Dat. Prid. Kal. Jan. *Conſtantin.* THEOD. A. III. & HABUNDANTIO CONSS. 393.

De reſcriptis.

5. Imppp. ARCAD. HONOR. & THEOD. AAA. Anthemio P. P.

SI qui poſthac velut indebitis oneribus gravati, ad preces crediderint convolandum, ſive de naviculariis rationibus, ſive transvectionibus: reſcripta, quæ de omnibus his atque hujusmodi ordinationibus emitti contigerit, ad Sedem ſublimitatis tuæ reſcribantur. Dat. Idib. Decembr. STILICONE II. & ANTHEMIO CONSS. 405.

Quidam libri notant hic deſiderari Græcam conſtitutionem, Ejus epitomen ex Ecl. Baſilicon putat Leunclavius hanc eſſe.

6.

PRæfectorum [22] prima ſit ante univerſos ſedes: poſt eos Senatorum.

TIT. XXVII.
DE OFFICIO PRÆFECTI PRÆTORIO AFRICÆ, ET DE OMNI EJUSDEM DIOECESEOS STATU.

De judicibus civilium adminiſtrationum & officiis eorum.

In nomine Domini Jeſu Chriſti.

Imperator Cæſar Flavius Juſtinianus, Alamanicus, Gotthicus, Germanicus, Francicus, Anticus, Alanicus, Wandalicus, Africanus, pius, felix, inclytus, victor ac triumphator, ſemper Auguſtus, Archelao Præfecto prætorio Africæ.

QUas gratias, aut quas laudes Domino Deo noſtro Jeſu Chriſto exhibere debeamus, nec mens noſtra poteſt concipere, nec lingua proferre. Multas quidem & antea a Deo meruimus largitates, & innumerablia circa nos ejus beneficia confitemur, pro quibus nihil dignum nos egiſſe cognoſcimus: Præ omnibus tamen hoc, quod nunc omnipotens Deus per nos pro ſua laude, & pro ſuo nomine demonſtrare dignatus eſt, excedit omnia mirabilia opera, quæ in ſeculo contigerunt, ut Africa [23], per nos tam brevi tempore reciperet libertatem, antea nonaginta quinque [24] annos a Vandalis captivata: qui animarum fuerant ſimul hoſtes, & corporum: nam animas quidem diverſa tormenta atque ſupplicia non ferentes, rebaptizando [25] ad ſuam perfidiam transferebant: corpora vero liberis natalibus clara, jugo barbarico duriſſime ſubjugabant: Ipſas quoque Dei ſacroſanctas Eccleſias ſuis perfidiis maculabant: aliquas vero ex eis ſtabula [26] fecerunt. Vidimus [27] venerabiles viros, qui abſciſſis radicitus linguis ſuas pœnas miſerabiliter loquebantur: Alii vero poſt diverſa tormenta per diverſas diſperſi provincias vitam in exilio peregerunt. Quo ergo ſermone, aut quibus operibus dignas Deo gratias agere valeamus, qui per me ultimum ſervum ſuum [28], Eccleſiæ ſuæ injurias vindicare dignatus eſt, & tantarum provinciarum populos a jugo ſervitutis eripere? Quod beneficium Dei anteceſſores noſtri non meruerunt: quibus non ſolum Africam liberare non licuit, ſed & ipſam [29] Romam viderunt ab eisdem Vandalis captam, & omnia imperialia ornamenta in Africam exinde translata: Nunc vero Deus per ſuam miſericordiam non ſolum Africam, & omnes ejus provincias nobis tradidit, ſed & ipſa imperialia ornamenta, quæ capta Roma fuerant ablata, nobis reſtituit. Ergo poſt tanta beneficia quæ nobis divinitas contulit, hoc de Domini Dei noſtri miſericordia poſtulamus, ut provincias quas nobis reſtituere dignatus eſt, firmas & illæſas cuſtodiat: & faciat nos eas ſecundum voluntatem ſuam ac placitum gubernare: ut univerſa Africa ſentiat [omnipotentis] Dei miſericordiam: & cognoſcant ejus habitatores a quam duriſſima captivitate & jugo barbarico liberati, in quanta libertate ſub feliciſſimo noſtro imperio degere meruerunt. Hoc etiam deprecantes exoramus ſanctæ & glorioſæ ſemper virginis & Dei genitricis Mariæ precibus: ut, quicquid minus eſt reipublicæ noſtræ, per nos ultimos ſervos ſuos reſtituat in ſuo nomine Deus, & dignos nos faciat ſervitium ejus adimplere. §. 1. Deo itaque auxiliante pro felicitate reipublicæ noſtræ per hanc divinam legem ſancimus, ut omnis Africa, quam nobis Deus præſtitit, per ipſius miſericordiam optimum ſuſcipiat ordinem, & propriam [30] habeat præfecturam: ut ſicut Oriens, atque Illyricum: ita & Africa, prætoriana maxima poteſtate ſpecialiter a noſtra clementia decoretur. Cujus ſedem jubemus eſſe Carthaginem [31], & in præfatione publicarum chartarum præfecturis aliis ejus nomen adjungi: quam nunc tuam ex-

1 *l. unic. Cod. Theod. h. t.* 2 15. *C. Th.* 4. *l. un.* 3 Principis ſtatuæ non ſunt adorandæ Ambroſ. 6. *Hexamer.* Hinc Tiberius, *auctore Suetonio*, ſtatuas inter ornamenta domorum, non inter ſimulachra deorum poni voluit. 4 Collectionis, *Haloand.* 5 Numum, *ut in corpore De limitib.* & Novella inter *Theodoſianas* 31. & 32. 6 Præmia bene meritis tribuenda. 7 Honor unius alterius damno eſſe non debet. 8 Sed ei, cujus.

9 9. *C. Theod.* 44. ſtatuæ initio meritiſſimis poſitæ, tyrannicidis Harmodio & Ariſtogitoni apud Athenienſes 34. *Plinius* 4. *Arrianus* 7. apud Græcos iis qui olympico certamine viciſſent. Excepta deinde res a toto orbe terrarum: nec hominibus modo, ſed & Diis in templis, & mulieribus quoque publicæ poſitæ, 34. *Plin.* 4. 5. 6. Religio porro divinis ſtatuis attributa, Plaut. *in Rudente.* Juſt. 20. *in* 3. *l.* 3. §. 2. *in fin.* §. *de his qui ad eccleſias.* ut & Principum ſtatuis, Phil. 1. *de vita Apollonii.* 10 *l. unic. C. Theod. h. t.* 11 *l.* 2. *verſ. ideoque cognoſce. ff. de his, qui ſunt ſui.* 12 Vid. *l.* 5. *ff. de extraord. criminibus*, *l.* 28. §. 7. *ff. de pœnis.* 13 *Subaudi*, ab injuria. Cicero 1. *de finibus.* Sapientia ſola nos a libidinum impetu, & formidinum terrore vendicat.

14 De origine, officio, potentia & inſignibus Præfectorum Prætorio, vid. Petrum Fabrum 1. *Sem.* 1. 2. 3. eorum poteſtas dicitur ἀρχὴ δευτέρα μετὰ τὰ σκῆπτρα a Zoſimo, ſecunda ab Imperatore. 15 Rolandus a Valle 1. *conſil.* 70. refert *num.* 16. Præfectis Prætorio exæquari ſenatus & parlamenta. Forcatulus vero Coneſtabilem, *cap.* 17. *Penus juris civilis*, *num.* 1. Sed Paponius cenſet conferri cum eo quem nunc Cancellarium vocamus. 3. *notar.* 7. *fol.* 495. & male. Præfecti namque Prætorio ad eos magis accedunt, quos olim Galli indigitarunt, *Maiſtres du Palais*, [illegible] Fuit & alius Præfectus Prætorio Illyrici, ſub cujus diſpoſitione diœceſes duæ fuerunt Macedonia & Dacia. Fuit etiam quodam tempore ſub Juſtiniano Præfectus Prætorio Italiæ, de quo *Nov.* 69. *cap.* 4. *verſ. Glorioſiſſimi* & 79. *c.* 2. 17 Aliud ſi Principi. *l.* 1. *ſupr. quando libellus Principi.* 18 Formas Præfectorum Prætorio Græci vocant ἐπαρχικά, de quibus vid. Cujac. 6. *obſ.* 10. adde *l.* 16. §. *de jud. l.* 27. *in pr.* §. *de fidejuſſ.* & *mandator.* 19 Ob adverſam valetudinem, negligentiam vel furtum, judex removeri poteſt. 20 Ergo poteſt negligens judex repelli ab officio, & petente parte alteri debet cauſa committi. Jaſonem vide *ad l.* 2. *ſupr. ut lite pendente.* porro an etiam appellari poſſit a tali judice, vide quæ *ad d. l.* 2. ſcribant idem Jaſon & Baldus, quæque affert Bart. *ad l. fin. ff. de extraord. cognit.* Mod. Adde *l.* 14. *in fin. ff. de offic. præſid.* 21 *l.* 38. *infr. de decur.* 22 Interpretatio Leunclavii: extat autem hæc conſtitutio apud autorem Synopſeos *Baſilic. l.* 6. *tit.* 1. *c.* 12.

23 Africa de Vandalis recepta a Juſtiniano. 24 Quot annis a Vandalis Africa fuerit occupata. 25 Anabaptiſmo Vandali polluti hoc forte didicerant a Donatiſtis. 26 Eccleſias in ſtabula vertere, & ex Eccleſiis ſtabula facere auſi ſunt *Vandali*, ut & Donatiſtæ, vide Optatum *contra Donatiſtas.* 27 Nota Juſtinianum vidiſſe Chriſtianos, quibus *Vandali* linguam exciderant, nec tamen eis loquendi facultatem ademerant. Hac ſævitia Honoricus uſus eſt adverſus Catholicos, cum ab iis impetrare non poſſet, ut Arii doctrinam ſequerentur. Legimus quoque mutum quendam ita natum poſt abſciſſam linguam ſtatim loquutum refutaſſe Arianorum hæreſim, & de fide Chriſtiana veras voces emiſiſſe, quod & ſe vidiſſe Marcellus Comes retulit. Idem ſe vidiſſe in multis refert Æneas Gazeus in Theophraſto, idem viſum fuiſſe Conſtantinopoli refert Procopius *libro de bello Vandalico*, & ex his duos cum ſe ſcortis miſcuiſſent, loqui deſiiſſe. His adde Victorem Uticenſem *libro de perſecutionibus Africæ*, & Paulum Diaconum *in Odoaric.* vid. Cujac. 19. *obſerv.* 6. Forcatulus *in Cupidine juriſperito cap. ult. in fin.* hoc quoque de Argonavi refert ex Valerio Flacco: venturos, inquit, canit errores, canit & Jovis iras vocibus humanis, ſtellati conſcia cœli. Nam quod de aſina Balaami huc profertur *Num.* cap. 22. non magis huc pertinet, quam illud Livii [illegible] Prætorio. 31 Hæc eſt illa Carthago Romani imperii æmula, Strabo *lib.* 17. *in fin.* condita a Didone & colonis Tyriis, Virgil. 1. *Æneidos verſ.* 15. 16. Tertull. *lib. de Monogamia*, & *Apologetico adverſus gentes*, Strabo *lib.* 17. *in fin.* ſeptuaginta duobus annis ante Romam, ut ex Trogo refert Juſtinus *lib.* 18. *aut* 112. ut vult Joſephus 1. *contra Apionem*: everſa a Scipione 2. *Flor.* 5. reſtaurata ab Auguſto. Strabo *lib. ult.* Pomponius Mela *lib.* 1. *cap. de Africa.* Plin. *lib.* 5. Plutarch. *in Jul. Cæſare*: capta a Vandalis. Procop. 1. *de bello Vandalico.* recuperata a Beliſario Juſtiniani præfecto. Procop. *ibidem.* Princeps olim Africæ, Tertull. *lib. de pallio in princ.* hodie vicus mediocris. Leo 5. *Afric.*

CODEX. [K] 2

cellen-

cellentiam gubernare decernimus. §. 2. Et ab ea (auxiliante Deo ſeptem provinciæ cum ſuis judicibus diſponantur: quarum Tingi [1] & quæ proconſularis antea vocabatur, Carthago & Byzacium [2] ac Tripolis rectores habeant conſulares: reliquæ vero, id eſt, Numidia & Mauritania, & Sardinia a præſidibus cum Dei auxilio gubernentur. §. 3. Et in officio quidem tuæ magnitudinis, nec non pro tempore viri magnifici præfecti prætorio Africæ trecentos nonaginta ſex viros per diverſa ſcrinia & officia militare decernimus. In officiis vero Conſularium ac præſidum quinquaginta homines per ſingula officia eſſe ſancimus. §. 4. Quæ vero emolumenta, ſive magnificentia tua, ſive Conſulares, & præſides, & quod unuſquiſque ex officio eorum de publico conſequi debeat, notitia ſubter annexa declarat. §. 5. Optamus ergo, ut omnes judices noſtri ſecundum voluntatem & timorem Dei, & noſtram electionem atque ordinationem ſic ſuas adminiſtrationes gubernare ſtudeant; ut nullus eorum, aut cupiditati ſit deditus, aut violentias aliquas vel ipſe inferat, vel judicibus aut officiis eorum, aut quibuſcunque aliis collatoribus inferre permittat. Licet enim per omnes provincias noſtras (Deo juvante) feſtinemus, ut illæſos habeant collatores; maxime tamen tributariis diœceſeos Africanæ conſulimus, qui poſt tantorum temporum captivitatem meruerunt, (Deo juvante,) per nos lumen libertatis aſpicere. Ergo jubemus omnes violentias & omnem avaritiam ceſſare, & juſtitiam atque veritatem circa omnes noſtros tributarios reſervari. Sic enim & Deus placabitur: & ipſi poſſunt [illegible] atque ſuperſtites eſſe. §. 6. Sportulas [3] etiam ab officio, tam viri magnifici, præfecti [prætorio] Africani, quam reliquorum judicum ſic exigi jubemus, quomodo in noſtris legibus eſt diſpoſitum; & ab omni republica noſtra cuſtoditur: ut nullus audeat quocumque tempore, vel quocumque modo eorum excedere quantitatem. §. 7. Hoc etiam præfecti ſanctione credimus ordinandum, ut non multa diſpendia pro completione chartarum, vel codicillorum, vel in noſtro laterculo, vel in ſcriniis præfecti prætorio per Africam judices ſuſtinere videantur: quia, ſi ipſi diſpendiis læſi non fuerint, nullam habebunt neceſſitatem ejuſdem noſtræ Africæ tributarios prægravandi. Jubemus ergo, ut judices diœceſeos [4] Africanæ tam civiles, quam militares in noſtro laterculo pro codicillorum atque chartularum promotionis ſuæ conſuetudinibus nihil ultra ſex ſolidos præbeant: at vero in ſcrinio præfectorum non ultra duodecim ſolidos cogantur inferre. Quem modum ſi quis exceſſerit, ipſe quidem judex triginta librarum auri diſpendio ſubjacebit; officium vero ejus non ſolum ſimile diſpendium, ſed & capitale periculum ſuſtinebit. Nam ſi aliquis ex quacumque parte auſus fuerit juſſiones noſtras excedere, & non feſtinaverit cum Dei timore eas ſervare: non ſolum dignitatis aut ſubſtantiæ periculum ſuſtinebit, ſed etiam ultimo ſupplicio ſubjacebit. §. 8. Et eſt notitia [5] Deo auxiliante. Pro annonis & capitu [6] pro tempore præfecto prætorio per totam Africam, auri libras centum. Pro annonis Conſiliariorum [7] auri libras xx. Pro annonis Cancellariorum [8] auri libras vi. † Item officiis ejus ita. In ſcrinio primo hominibus decem pro annonis [illegible] capit. ſol. xii. Fiunt ſol. cxlviii. Item numerario, pro annonis ſolid. v. pro capit. ſol. iiii. Fiunt ſol. xvi. Secundo pro ann. iii. annos ſol. v. & pro capit. vii. cap. ſol. v. & pro capit. ii. cap. ſolid. iv. Fiunt ſolid. xvi. iii. vero & iv. ad ann. i. annos ſolid. v. & ad cap. i. capit. ſol. iiii. Fiunt xxiv. Reliquis iii. ad ann. i. ann. ſolid. v. & ad capit. i. capit. ſolid. iv. Fiunt ſolid. xxviii. In ſcrinio ſecundo, ut ſupra ſcriptum eſt. In ſcrinio tertio, ut ſupra ſcriptum eſt. In ſcrinio quarto [9], ut ſupra ſcriptum eſt. In ſcrinio primi ſcrinii, quod eſt ſubadjuvæ [10] hominibus x. ann. xiv. cap. xii. Fiunt ſolid. cxvi. Ita primi ſcrinio pro ann. iii. ann. ſolid. v. & pro cap. ii. capitu ſolid. iv. Fiunt ſolidi xxiii. Secundo pro ann. ii. ann. ſolidi, ut ſupra ſcriptum eſt, & pro cap. capit. ſolid. ut ſupra ſcriptum eſt, & fiunt ſolidi xvi. Tertio & quarto pro ann. i. annona ſolidorum, ut ſupra ſcriptum eſt, & pro cap. i. cap. ſolidorum, ut ſupra ſcriptum eſt. Fiunt ſol. xxxii. Reliquis hominibus vi. ad ann. i. annona ſolidi v. & pro capitu capit. ſolid. iv. Fiunt ſolidi lviii. In ſcrinio commentarienſis [11] hominibus xii. ann. xvii. cap. iv. Fiunt ſolidi clii. Primo commentarienſi, ann. iii. ſolid. v. pro capit. ii. capit. ſol. iv. Fiunt ſolidi xxiii. Sequentes hominis iii. ad ann. ii. ann. ſolid. v. pro cap. ii. capit. ſolid. iv. Fiunt ſolidi xlviii. Reliquis hominibus viii. ad ann. i. capit. ſolid. v. & cap. i. capit. ſolid. iv. Fiunt ſolid. xxvii. In ſcrinio ab actis hominibus x. ann. xiv. cap. xii. ſolid. cxviii. Ita primo ann. iii. pro ann. i. ſolid. vi. cap. ii. capit. ſolid. iv. Fiunt ſolid. xxiii. Secundo & tertio ad an. ii. ann. ſolid. v. & ad capit. ii. capit. ſolid. iv. Fiunt ſolid. xxxii. Reliquis hominibus vii. ad ann. i. ſolid. v. ad capit. i. capit. ſolid. viii. Fiunt ſolid. lxiv. † In ſcrinio *libellorum* [12] hominibus vii. ann. vi. cap. vi. Fiunt ſolidi v. pro cap. ii. cap. ſolid. iv. Fiunt ſolid. xvi. Secundo ii. pro ann. ſolid. x. pro capit. i. ſolid. iv. Fiunt ſolid. xii. Reliquis hominibus iv. ad ann. i. ann. ſol. v. & ad cap. i. ſolid. iv. Fiunt ſolid. xxxvi. † In ſchola *exceptorum* [13] hominibus lx. ann. lxxiv. capit. lxii. ſolid. dcxviii. Ita primo & ſecundo ann. iii. pro anno ſolid. v. & ad cap. capit. ſolid. iv. Fiunt ſolid. xlvi. Aliis hominibus vi. ad ann. ii. ann. ſolid. v. & ad cap. i. capit. ſolid. iv. Fiunt ſolidi cxvi. Reliquis hominibus xl. ad ann. i. ann. ſolid. v. & ad cap. i. cap. ſolid. iv. Fiunt ſolid. cxx. Reliquis hominibus xl.iv. ad ann. i. ſolid. v. & ad capit. i. capit. ſolid. iv. Fiunt ſolid. ccclxxxvi. † In ſchola *ſingularium* [14] hominibus i. ann. iii. capit. ſolid. cccclxxiii. Ita i. ann. i. ſolid. v. capit. i. capit. ſolid. iv. Fiunt ſolid. [illegible] Reliquis hominibus xi. ad ann. i. ann. ſolid. v. & ad capit. i. capit. ſolid. iv. Fiunt ſolid. cccxcxvi. † In ſchola *mittendariorum* [15] hominibus i. ann. lii. S. capit. ſolid. cccclxii. Ita primo ann. iii. pro ann. ſol. v. & ad capit. i. capit. ſolid. iv. Fiunt ſolid. xiv. Secundo, tertio & quarto ad ann. ii. ann. ſolid. v. & ad cap. i. capit. ſolid. iv. Fiunt ſolid. xxxvi. Reliquis hominibus xl.vi. ad ann. i. ann. ſol. v. & ad cap. i. cap. ſolid. iv. Fiunt ſolid. cccxxviii. † In ſchola *curſorum* [16] hominibus xx. ann. xxii. S. cap. xxx. ccxxxii. Ita primo anno ann. ſolid. v. cap. i. cap. ſol. xvii. Secundo, tertio & quarto ad ann. ii. S. ann. ſolid. v. & ad capit. i. capit. ſolid. iv. Fiunt ſolid. xxxiv. S. Reliquis hominibus xvi. ad ann. i. ann. ſolid. v. & ad cap. i. capit. ſolid. iv. Fiunt ſolidi cxliv. † In ſchola *nomenculatorum* [17] hominibus xxii. ann. ſolidi v. capitu xii. ſolid. iv. Fiunt ſolidi cxv. Ita primo anno ann. ſolid. v. capit. i. S. capit. ſolidos iv. Fiunt ſolid. xvi. Reliquis hominibus xi. ad ann. i. ann. ſolid. v. & ad capit. i. capit. ſolid. iv. Fiunt ſolid. xcix. † In ſchola *ſtratorum* [18] hominibus vi. ann. vii. capit. vi. ſolid. lix. Ita primo anno, ann. ſolid. v. cap. i. capit. ſolid. iv. Fiunt ſolidi xiv. Reliquis hominibus v. ad ann. i. ann. ſolid. v. & ad cap. i. capit. ſolid. iv. Fiunt ſolid. xlv. † In ſchola *prætorianorum* [19] hominibus decem ann. xii. capit. xi. ſolid. xcvii. Ita primo annonæ pro ann. ii. ſolid. v. pro capit. ſolid. iv. Fiunt ſolid. xvi. Reliquis hominibus ix. ad ann. i. pro ann. ſolid. v. capit. i. pro capit. ſolid. iv. Fiunt ſolid. lxxi. † In ſchola *draconariorum* [20] hominibus x. ann. ii. cap. x. S. ſolid. ccvi. Ita primo ann. pro ann. ſolid. xiv. capit. i. pro capit. i. ſolid. iv. Fiunt ſolidi xvi. Reliquis hominibus ix. ad ann. i. pro ann. ſolid. v. cap. i. pro capit. ſolid. iv. Fiunt ſol. lxxx. † In ſcrinio *operum* [21] hominibus xx. ann. xxiv. cap. xxi. ſolid. ccxxiv. Ita primo ann. iii. pro ann. ſolid. v. cap. ii. pro capit. ſolid. viii. Fiunt ſolid. xxiv. Reliquis hominibus iii. ad ann. ii. pro ann. ſolid. v. & ad capit. i. pro capit. ſolid. iv. Fiunt ſolid. lxii. Reliquis aliis hominibus vi. ad ann. i. pro ann. ſolid. v. & ad capit. i. pro capit. ſolid. iv. Fiunt ſol. xc. † In ſcrinio *arcæ* [22] hominibus xx. ann. xxviii. capit. xxi. ſolid. ccxxiv. Ita primo anno iii. pro ann. ſolid. v. capit. ii. pro cap. ſolid. iv. Fiunt ſolid. xxiii. Reliquis hominibus iv. ad ann. ii. pro ann. ſol. v. & ad capit. i. pro cap. ſol. iv. Fiunt ſolid. xlii. Reliquis aliis hominibus vi. ad ann. ii. ſolid. v. & ad cap. i. pro cap. ſol. iv. Fiunt ſolid. lxviii. Reliquis aliis hominibus cx. ad ann. i. pro ann. ſol. v. & ad capit. i. pro cap. ſolid. iv. Fiunt ſolid. xc. † In ſchola [23] *chartulariorum* [24] hominibus l. ann. lviii. cap. ii. pro capit. ſol. iv. Fiunt ſol. xxiv. Ita primo anno iii. pro ann. ſolid. v. cap. ii. pro cap. ſolid. iv. Fiunt ſol. xxiii. Reliquis hominibus iii. ad ann. ii. pro ann. ſol. v. & ad capit. i. pro cap. ſolid. iv. Fiunt ſolid. xlviii. Reliquis aliis hominibus vi. ad ann. i. pro ann. ſolid. v. & ad capit. i. pro capit. ſol. iv. Fiunt ſol. xlix. Reliquis hominibus xl. ad annum primum pro ann. ſol. v. & ad cap. i. pro capit. ſolid. iv. Fiunt ſolid. cclx. Fiunt homines cccxcvi. anno ccccxcix. ſolid. ii. ccccxc. capit. ccccxx. Fiunt ſolid. iv. lxxiii. iii. dclxxxii. Item pro anno & cap. cenſualium ſolid. ccccxlviii. Officiorum ejus ſolid. clx. poteſt medi hominibus v. ann. xlviii. capit. xviii. ſolid. ccccxviii. Ita primo ann. pro ann. xv. capit. v. ſol. v. Secundo pro ann. x. capit. v. ſolid. lxx. Reliquis hominibus iii. ad ann. viii. & ad cap. ii. ſolid. cl. † *Grammaticis* [25] hominibus ii. ad ann. x. & ad cap. ii. ad ſolid. lxx. ſortitas. † *Oratoribus* [26] hominibus ii. ad ann. x. cap. v. ad ſolid. lxx. §. 9. Hæc igitur, quæ pro diſpendiis, civilibus Judicibus Africæ, eorumque officiis, id eſt, tam ſcriniariis [27] ampliſſimæ ejus Præfecturæ, quam cohortalibus [28], per hanc divinam conſtitutionem ſtatuimus; tua magnitudo cognoſcens, ex Kal. Septemb. futuræ tertiædecimæ Indictionis effectui mancipari, obſervarique procuret, atque edictis publicis omnibus innoteſcat: His ſcilicet, qui ordinati fuerint a tua ſublimitate ſecundum præſentem divinam conſtitutionem, firmitatem ſui ſtatus in perpetuo habituris. Nam Deo juvante de militaribus Judicibus, & de officiis eorum, & de alio noſtro exercitu per aliam ſanctionem ſtatuemus. Dat. *Conſtant.* Domino noſtro Juſtiniano P. P.

De Judicibus militaribus, & officiis eorum.

2. Idem A. Beliſario Magiſtro militum per Orientem.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ad omnia conſilia omneſque actus ſemper progredimur: per ipſum [29] enim jura Imperii ſuſcepimus: Per ipſum pacem cum Perſis in æternum confirmavimus: per ipſum acerbiſſimos hoſtes, & fortiſſimos Tyrannos dejecimus: per ipſum multas difficultates ſuperavimus: per ipſum Africam defendere, & ſub noſtrum imperium redigere, nobis conceſſum eſt: per ipſum quoque, ut noſtro moderamine recte gubernetur, & firme cuſtodiatur, confidimus. Unde per ejus gratiam etiam civilium adminiſtrationum Judices, & officia ſingulis Africanis provinciis conſtituimus: attribuentes quidem emolumentum, quod unuſquiſque percipere debeat. Ad ejus igitur providentiam etiamnum animum noſtrum referentes, & armatas militias, & duces militum ordinare diſponimus. §. 1. Sancimus itaque, ut *Dux* militum *Tripolitanæ* [1] provinciæ in Leptimagnenſi [2] civitate [3] ſedes interim habeat. Dux vero *Byzacenæ* [4] provinciæ [&] in Capſa, & altera [5] Lepte civitatibus interim ſedeat. Dux vero *Numidiæ* [6] provinciæ in Conſtantinenſi [7] civitate ſedes interim habeat. Dux autem *Mauritaniæ* [8] provinciæ in Cæſarienſi [9] civitate interim ſedeat. §. 2. Jubemus etiam: ut in trajectu [10], qui eſt contra Hiſpaniam, qui *Septa* dicitur, quantos providerit tua magnitudo, de militibus una cum Tribuno ſuo homine prudente, & devotionem ſervante Reipublicæ noſtræ, per omnia conſtituas, qui poſſint & ipſum trajectum ſemper ſervare, & omnia, quæcunque in partibus Hiſpaniæ, vel Galliæ, *ſeu Francorum* [11] aguntur, viro ſpectabili Duci denunciare, ut ipſe tuæ magnitudini referat. In quo trajectu etiam dromones [12], quantos provideris, ordinari facias. §. 3. In *Sardinia* [13] autem jubemus Ducem ordinari: & eum juxta montes, ubi Barbaricæ gentes videntur ſedere, habentem milites pro cuſtodia locorum, quantos & ibi tua magnitudo providerit. §. 4. Et omnes diligenter pro commiſſis ſuæ cuſtodiæ provinciis invigilent, & ab omni hoſtium incurſione ſubjectos noſtros tueantur illæſos: & feſtinent die nocteque [14] Dei invocando auxilium, & diligenter laborando, uſque ad illos fines provincias Africanas extendere, ubi ante invaſionem Vandalorum, & Maurorum Reſpublica Romana fines habuerat, & ubi cuſtodes antiqui ſervabant: ſicut ex clauſuris [15] & burgis [16] oſtenditur: maxime autem civitates, quæ prope clauſuras & fines antea tenebantur, cum eſſent ſub Romano imperio conſtitutæ, auxiliante divina miſericordia cum hoſtes per partes expelluntur, feſtinent comprehendere, atque munire: & in illis duces & milites per partes accedant, ubi antea fines [17] & clauſuræ provinciarum erant, quando integræ Africanæ ſervabantur ſub Romano imperio provinciæ, quod Deo annuente (cujus auxilio nobis reſtitutæ ſunt) ſperamus cito noſtris provenire temporibus; & ut in ſecuritate & pace provinciæ cum antiquis finibus integre ſerventur, & vigiliis ac laboribus devotiſſimorum militum, & cura ſpectabilium pro tempore Ducum cuſtodiantur illæſæ: quoniam ita convenit, ut ſemper cuſtodes fines provinciæ ſervent: nec detur hoſtibus licentia incurrendi aut devaſtandi loca, quæ noſtri ſubjecti poſſident. §. 5. Quantos autem milites, ſive pedites, ſive equites, per unumquemque limitem collocari oportet ad cuſtodiendas Provincias & civitates, tua magnitudo, prout conſideraverit ordinet, & nobis referat: ut ſi præviderimus ſufficientem eſſe ordinationem, confirmemus eam: ſin autem perſpexerimus, & aliquid amplius fieri, ut eam augmentemus.

§. 6. Quid autem Dux [18] ſtipendiorum nomine pro ſe ſuiſque hominibus, & quid ejus officium conſequetur; hoc in ſubdita declaratur notitia. §. 7. Sicut ergo prædictum eſt, interim nunc [19] Duces ac milites ſecundum noſtram diſpoſitionem in locis, ſeu civitatibus, in quibus juſſimus, ſedeant, donec Deo auxiliante nobis ac Reipublicæ noſtræ per labores noſtros in illis locis conſtitui poſſint, in quibus uniuſcujuſque provinciæ antiquus limes conſtitutus erat, quando florente Romana republica memoratæ provinciæ integræ tenebantur.

§. 8. Pro *limitaneis* vero ordinandis neceſſarium nobis eſſe videtur, ut extra Comitatenſes milites, qui [20] per caſtra ſunt, milites limitanei conſtituantur, qui poſſint, & caſtra, & civitatis limites defendere, & terras colere: & ut alii provinciales videntes eos per partes [21], ad illa loca ſe conferant. Et exemplum [22] fecimus unius numeri limitaneorum: ut ſecundum exemplum, quod nos miſimus, per caſtra & loca, quæ providerit tua magnitudo, eos ad ſimilitudinem noſtri exempli ordinet: ſic tamen, ut ſi inveneris de provinciis idonea corpora, aut de illis, quos antea milites habebant; limitaneorum conſtituas in numero, in unoquoque limite: ut ſi aliqua forſitan commotio fuerit, poſſint ipſi limitanei [23] ſine Comitatenſibus militibus, una cum Ducibus ſuis adjuvare loca, ubi diſpoſiti fuerint non longe limitem exeuntes, nec ipſi limitanei, nec duces eorum; ut nullum etiam diſpendium a Ducibus [24], vel ducianis prædicti limitanei ſuſtineant, nec aliquas [25] ſibi conſuetudines de eorum ſtipendiis per fraudem ad ſuum lucrum convertant. Hæc autem non ſolum in limitaneos volumus obſervari, ſed etiam in Comitatenſes milites. §. 9. Et unumquemque Ducem & Tribunos eorundem militum jubemus, ut ſemper milites ad exercitationem [26] armorum teneant, & non concedant eos divagari, ut, ſi quando neceſſitas contigerit, poſſint inimicis reſiſtere, & nullum audeant Duces aut Tribuni commeatalem [27] de ipſis dimittere: ne dum ſibi lucrum ſtudent conficere, incuſtoditas noſtras relinquant provincias. Nam ſi uſurpaverint memorati Duces, vel officia eorum, ſeu Tribuni, commeatalem de militibus relinquere; aut aliquod lucrum de eorum emolumentis ſibi acquirere: hoc non ſolum in quadruplum jubemus publico rependere, ſed etiam dignitate eos privari. Magis enim debent, & Duces & Tribuni ſupra deputata ſibi emolumenta ſecundum labores ſuos de noſtra largitate remunerationem ſperare, & non de commeatis [28] militum, aut eorum ſtipendiis lucrum ſibi acquirere: quoniam ideo ordinati ſunt milites, ut per ipſos provinciæ vindicentur: præcipue cum ſufficienter & ipſis Ducibus, & eorum officiis emolumenta præſtitimus, & ſemper providimus unumquemque ſecundum labores ſuos ad meliores gradus, & ad majores dignitates perducere. §. 10. Poſtquam vero Deo placuerit, & [29] per tuam magnitudinem limes omnis in antiquum ſtatum pervenerit, & bene ordinatus fuerit; tunc ubicunque neceſſitas emerſerit, viri ſpectabiles Duces invicem ſibi, quando uſus exegerit, auxilium præbeant: ut provinciæ, ſeu limites eorum vigiliis & laboribus (Deo juvante) illæſi cuſtodiantur.

§. 11. Sicut autem jubemus audaces & feroces contra inimicos judices ac milites noſtros eſſe: ſic volumus eos mites & benevolos circa collatores [30] noſtros exiſtere, & nullum damnum, nullamque læſionem in eos efficere. Sin autem quiſquam de militibus auſus fuerit, quamcumque læſionem tributariis [31] noſtris inferre: periculo viri ſpectabilis Ducis, ſeu Tribuni & Principis digna vindicta afficiatur, ut indemnes tributarii noſtri cuſtodiantur. §. 12. Si vero pro quibuſdam cauſis interpellatio apud noſtros Judices facta fuerit: jubemus non amplius ſportularum nomine, quam noſtris legibus definitum eſt, executores accipere, pœnam eiſdem legibus inſertam ex transgreſſione formidantes. §. 13. Cum autem Deo annuente Africanæ noſtræ provinciæ per tuam magnitudinem [32], ſecundum noſtram diſpoſitionem ordinatæ, & limites in antiquum ſtatum reducti; & omnis Africa ſic detenta fuerit, ſicut erat: cum ergo hæc omnia (Deo juvante) præſente tua magnitudine, diſpoſita & perfecta fuerint, & per labores tuos [33], [antiquos] fines omnes Africa receperit; & docuerit nos de omni ordinatione totius Africanæ diœceſeos: id eſt, quanti & qui milites, in quibus locis, vel civitatibus conſtituti ſunt, & quanti limitanei, & in quibus locis & militiis collocati ſunt: tunc jubemus tuam magnitudinem ad noſtram clementiam remeare. §. 14. Interea vero ſi aliquas civitates, ſeu caſtella [34] per limites conſtituta providerit tua magnitudo nimiæ eſſe magnitudinis, & propter hoc non poſſe bene cuſtodiri: ad talem modum ea conſtrui diſponat, ut poſſint per paucos bene ſervari. §. 15. Cum autem magnitudo tua, omnibus diſpoſitis, ad nos remeare juſſa fuerit; tunc Duces uniuſcujuſque limitis; quotiens pro componendis civitatibus, aut caſtris [35], & pro ſtipendiis ſuis, aut pro annonis aliquod opus habuerint, celerius ad virum magnificum Præfectum per Africam ſignificent: ut ipſe, quæ neceſſaria fuerint, feſtinet facere, ne aliqua protractio provinciis noceat.

§. 16. Ea vero, quæ ipſe fecerit, vel quæ adhuc neceſſario procuranda ſunt poſtea, & memoratus vir magnificus Præfectus [prætorio] Africæ, & viri ſpectabiles Duces, & de aliis omnibus, quæ ibi aguntur, frequenter ad nos referant: ut benefacta confirmemus, & quæ opportunius debent fieri, ex noſtra diſpoſitione peragantur.

§. 17. Hoc etiam decernimus, ut judices, qui ordinandi ſunt per Africanos limites, nihil amplius in ſacratiſſimo Palatio [36] cuilibet perſonæ, aut dignitati, vel in Prætorio [37] per Africam Præfecturæ & Magiſteriæ [38] poteſtati præbeant, niſi quantum ſubter annexa declarat notitia [39]: nam ſi quis amplius, quam in ſubdita notitia taxatum eſt, uſurpaverit, ſeu acceperit, triginta libras auri multæ dependat nomine, cum quo & periculo indignationis noſtræ [ſerenitatis] ſubjacebit, nulla alia qualibet perſona, aut dignitate, aut officio accipiente aliquid ab eis, præter illos quorum nomina in ſubjecta notitia continentur. §. 18. Ad hoc jubemus, ut (Deo juvante) unuſquiſque Dux ſeu eorum officia [40], ſecundum quod notitia ſubterannexa continet, emolumenta ſua ex tributis Africanæ Provinciæ ex Kal. Septembris inſtantis feliciſſimæ tertiæ decimæ Indictionis percipiant. §. 19. Et hæc notitia [41], Deo volente,

1 Zeugia a qua Zeugitana. 2 A qua Byzacene provincia. *l.* 2. §. 19. *verſ. Item viro.* §. 23. *circa fin. infr. h. t.* dux Byzacenæ. *l.* 2. §. 1. *infr. h. t.* male Byzancium: corruptius Hieratium apud Sextum Ruffum. 3 *l. ult. infr. de annonis civilibus.* 4 Diœceſis multarum provinciarum adminiſtratio atque complexus. 5 Notitia eſt brevis, aut libellus, in quo deſcriptio ſtatus, adminiſtrationis & diœceſeos alicujus continetur. *l.* 3. §. 3. *l.* 5. §. 3. Ĵ. *de advoc. diverſ. judicum. l.* 1. & 2. Ĵ. *de excuſat. artific. l. penult.* & *l. ult.* Ĵ. *de diverſ. off.* & *apparit.* Hinc de ſtatu imperii ſub imperatoribus Conſtantinopolitanis agens liber, Notitia imperii Romani inſcribitur: adde & aliam Notitiam quæ extat *in l.* 2. §. 2. Ĵ. *h. t. in l.* 7. Ĵ. *de pal. ſacr. larg. Nov.* 8. *c.* 1. §. 1. 6. Vid. *infr. l. un. de annonis & cap.* 7 Conſiliariorum. 8 Cancellarii judicum ſecretarii. vid. *l.* 3. *l.* 5. Ĵ. *de aſſeſſoribus & domeſt. & cancell. jud.* 9 Scrinia quatuor hæc erant, memoriæ, libellorum, epiſtolarum, diſpoſitionum. *l.* 20. Ĵ. *de fide inſtrumentorum. l. ult. verſ. Viri etiam.* Ĵ. *de decurionib. l.* 3. Ĵ. *de off. quæſt. l.* 3. 4. & 11. Ĵ. *de proxim. ſacror. ſcrin. l.* 2. *in pr.* Ĵ. *de priv. eorum, qui in ſacro:* interdum ſcrinium diſpoſitionum omittitur. *l.* 5. 6. 10. Ĵ. *de proxim. ſacr. ſcrin. l.* 1. Ĵ. *de privileg. eor. qui in ſacr. palat.* Erant & ſcrinia exceptorum, tabulariorum, canonum, numerariorum, mittendariorum. *l. ult.* Ĵ. *de veſtibus holoberis, l.* 7. §. 1. Ĵ. *de palatinis ſacr. larg. l.* 10. *infr. de murileg. & gynæciariis.* Fabricarum, barbaricariorum. *l.* 1. *in pr. infr. de præpoſ. agent. in rebus.* auri ad reſponſ. *dict. l.* 7. *verſ. Scrinii auri ad.* hinc ſcriniarii. *l.* 16. *infr. de teſtam. milit. l. ult. infr. de caſtrenſ. pecul. l.* 10. *in pr. infr. de numerar. actuar. l. ult.* Ĵ. *de appar. præf. prætor.* Scrinii magiſter Lampridius. 10 Subadjuva, id eſt, adjutoris adjutor, *l. ult. verſ. hujus autem. infr. de agentibus in rebus.* cujus munus τῷ βοηθῷ βοηθεῖν. Syneſius *epiſt. ad Heruncianum:* Suidas *l.* 3. *C. Theod. de agentibus in rebus.* Ea forma dicitur ſubcurator, *l.* 30. *D. de negot. geſt.* & ſubdoctor ab Auſonio ad Victorinum ſubdoctorem. Hic Græcis πρόχολος ordinarii doctoris Vicarius, morum κοσμητὴς. Joſ. Scalig. *lib.* 1. *lect. Auſonianarum c.* 15. 11 Commentarienſis, cujus manu actus ſubnotantur. *l.* 45. §. 7. *ff. de jure fiſci.* 12 Nota de ſcrinio libellorum. 13 *l.* 5. *l.* 12. *infr. de prox. ſacrorum ſcrin. l.* 5. *l.* 7. §. 1. *in pr. l. ult. infr. de Palat. ſacrar. largit. l. ult.* §. 3. *infr. de re milit. l. ult. infr. de caſtr. pec. l.* 5. *infr. de numerariis, actuar.* 14 Singulares ſive ſingularii, qui per ſingula ſive ſingla, id eſt, abbreviaturas ſcribebant. Sic ſingula, ſingla, ſigla, & tandem vigla. Notæ diſtant a ſinglis vel ſiglis. Sigla, vel ſiglæ ſunt ſingulares literæ: notæ, non ſunt literæ. A ſiglis ſingularii, ut a notis notarii dicti ſunt. vid. Cujac. 12. *obſerv. ult.* 15 *l.* 3. *l.* 7. §. 1. *verſ. Scrinii mittendariorum. l.* 8. *infr. de Palat. ſacr. largit.* 16 Nota de ſchola curſorum. 17 Alio ſenſu accipitur hic, quam in *l.* 7. §. 5. *ff. de oper. libert.* 18 Stratorum. vid. *infr. de ſtratoribus.* 19 Prætoriani milites præfectorum prætorio Græcis δορυφόροι. vide Petrum Fabrum 1. *ſemeſtr.* 3. 20 Draconarii ferebant ad prælium Draconem ſignum militare cohortis. Primum ſignum totius legionis aquila. Vide Vegetium 2. *cap.* 13. vide elegans exemplum apud Ammianum 20. ubi de Juliano loquitur a militibus in Imperatorem electo. 21 Nota de ſcrinio operum. 22 Hinc arcarii, præpoſiti his ſuſcipiendis, quæ in arcam Præfecti Prætorio inferuntur. vid. *infr. de ſuſceptoribus, præpoſ. & arc. lib.* 10. *tit.* 70. 23 Schola, corpus & collegium militantium. Quidam interpretantur locum, in quo militant: meo tamen judicio male. 24 De quibus dicam *infr. de numerariis, actuariis & chartulariis, lib.* 12. *tit.* 50. 25 Adde *l.* 2. *l. ult. infr. de profeſſor. & medic.* 26 *d. l.* 2. *d. l. ult. in pr.* 27 Σκρινιάριος ὁ χαρτοφύλαξ, autor etymologici χαρτουλάριος τοῦ ἐπάρχου. Suidas: memorialis Præfecti Prætorio, magiſtri militum, comitis utriuſque ærarii. Proconſul Aſiæ & Caſtrenſis ac Palatii ſuos habuere ſcriniarios. vid. *infr. de numer. act. char. adjutorib. ſcriniariis.* 28 Cohortales, officiales præſidum, conſularium correctorum. vid. *infr. de cohortalibus princip.* 29 Ἀναφορὰ figura dictionis, cum in principio multarum orationum idem verbum repetitur. *Goth.* Ad hanc leg. vid. Cujac. *lib.* 3. *obſerv. cap.* 24. S. L.

mus:

1 Quæ Oroſio & Aëthico Subventana & Arzugum. hodie forte Garegare. vide Ortelium. Quæ hodie Africæ Tripolis nominatur, nova eſt, ab Africanis extructa circa veterem deſtructam a Mauris. vide Leon. 5. *in Africa.* 2 Lepti magnæ. Leptis magna hodie Lebida. 3 Magna eſt in his & ſimilibus lectionum varietas, in qua cum momenta rerum poſita non exiſtimem, tacitus eas prætereo, & curioſiori alicui relinquo examinandas accuratius. hic tamen non diſplicet quod affertur ex libris manu exaratis: *In Leptis magnæ civitate*, quod ut iidem recte monent, civitas hæc ſit Tripolitanæ provinciæ, cujus mentio eſt apud Solinum & Plinium itemque *in l. ult. ff. de cenſibus.* Mod. 4 Vide *l.* 1. §. 2. Ŝ. *h. t.* 5 Id eſt, parva, quæ hodie Africa nuncupatur. 6 Quæ hodie Biledulgerid. Joann. Leo *in Africa.* 7 Conſtantina hæc fuit a Romanis ædificata: de qua vide Leonem *lib.* 5. *Africæ.* 8 Mauritaniæ. *Hal.* Mauritania (Hebræis *Phut.*) duplex Tingitana, quæ etiam Bogudiana, Mauritania, Sitifenſis, Hiſpania Transfretana, Hiſpania Tingitana, inferior Mauritania. Hodie regnum Marrochi nuncupatur, ſi Cælio Sec. Curioni, regnum Fezzæ, ſi Nigro credimus. Altera Cæſarienſis, quæ Maſſilia & Maſſæſylia: hodie regnum Tremeſſenum. 9 Hanc hodie nuncupari Cabo Figato, refert Pinetus. vid. Procopium *lib.* 8. *de ædificiis Juſtiniani.* 10 Hic trajectus hodie dicitur, *Eſtroit de Gibraltar & de Marroch.* Thevetus dicit ab Æthiopibus Gebethon, Gebetthar [illegible] & Zuchat nuncupari: quæ nomina valde mihi una cum autore ſuſpecta. 11 Franci tempore Juſtiniani Gallias occupabant: nec iis imperabat Juſtinianus: ut hic liquet: & ſe tamen Francicum appellat multis locis, & inſcriptionibus: forte quod dux quidam Francorum a Narſete Juſtiniani exercitus duce prope Tarentum fuerat ſuperatus: cum duobus & viginti antea annis Franci Theodeberto rege duos inſtructiſſimos exercitus Juſtiniani, & Gotthorum (qui in procinctu erant, ut inter ſe dimicarent [illegible] Mediolani poſſeſſione) fudiſſent. vid. Procop. *l.* 1. *de bello Gothor.* 12 Dromones, navigii longioris, & ad curſum expediti genus. Iſid. 19. *Etymologiar.* 1. Caſſiodor. 5. *variar.* Dromoni contrarius muſculus, curtum navigii genus. Zonar. *tom.* 3. *in Mauricio, & Juſtinian. Rhinotmito.* A Dromone, Dromonarii. Caſſiodor. 2. & 4. *variar.* 13 §. 23. §. 19. *in fin.* Ĵ. *h. t.* 14 Hinc colligunt doctores eum, qui tenetur ad cuſtodiam, teneri etiam ad nocturnam cuſtodiam. vide Bart. & Alex. *ad l. ſi quis non dicam.* Ŝ. *de Epiſc. & cler.* Mod. 15 Clauſuræ quid? vid. *l.* 4. Ĵ. *de offic. magiſt. off.* 16 Burgus a Græca voce πύργος deducitur. Vegetius *lib.* 4. Caſtellum parvum burgum vocat Paulus Oroſius in Valentiniano, crebra per limitem habitacula conſtituta Burgos vulgo appellat. Eadem vox reperitur in lege penultima Ĵ. *de fundis rei privatæ, lib.* 11. *tit.* 65. vide Cujac. 3. *obſerv.* 24. A burgis dicti Burgarii, hoc eſt, burgorum, qui in limitibus erant, cuſtodes. De burgariis Hiſpaniæ, vid. *l. unic. Cod. Theod. de Burgariis. lib.* 7. *tit.* 14. Idque ſatis oſtenditur ſequentibus titulis 15. 16. 17. quorum hæc eſt inſcriptio, De terris limitaneis, De littorum & itinerum cuſtodia, De luſoriis Danubii. Dictos Burgundiones a Burgis Paulus Luitprandus, & Iſidorus exiſtimant. vid. Pithœum 1. *Adverſ.* 14. 17 Imperatores Romani habuerunt in limitibus τὰ ὀχυρώματα, quæ ipſi *clauſuras* appellant. id ab Hadriano videtur inſtitutum. *Spartianus.* Per ea tempora, & alia frequenter in plurimis locis, in quibus Barbari non fluminibus, ſed limitibus dividuntur, ſtipitibus magnis in modum muralis ſepis funditus jactis atque connexis Barbaros ſeparavit. *Hæc ille.* Harum clauſarum vel cluſorum vel clauſurarum propugnacula caſtella (unde caſtellani milites) & burgi. De ea re alibi dicam. vid. Pithœum *d. loco.* 18 Ducis vocabulum hic nomen dignitatis: hinc dux militum Tripolitanæ provinciæ, Byzacenæ, Numidiæ, Mauritaniæ. §. 1. *ſupr. h. t.* Sardiniæ, §. 3. *ſupr. h. t.* 19 Nec enim omnes Comitatenſes in caſtris: ſed in aula & comitatu Principis. *l.* 2. Ĵ. *de privileg. eor. qui in ſacr. Palat. l.* 13. §. 1. Ĵ. *de re milit.* 20 Limitanei milites unde dicti, & eorum munus. 21 Per partes, id eſt, interdum: aut diſpoſitos in illis partibus. *Partes* enim pro regione uſurpavit ſuperius, §. 2. 22 Exemplum poſſis Gallice interpretari *un eſtat.* 23 Limitanei a Comitatenſibus differunt: illorum proprium munus eſt, in limite tuendo verſari: horum extra ordinem, §. *hoc.* 8. *ibi: qui per caſtra ſunt.* A Comitatenſibus Comitatenſibus legiones, *l.* 7. *in princ.* Ĵ. *de Palat. ſacr. larg.* Comitatenſes numeri, *l.* 14. Ĵ. *de re milit.* 24 Nota de ducibus vel ducianis limitaneorum militum. 25 Aliqua ſibi conſuetudine de eorum &c. 26 Vid. Veget. *de exercend. tyron.* 1. *de re milit.* 9. & *ſequent.* 27 Commeatalis miles eſt, cui in ſtipendii partem dantur alimenta ex commeatu, ac alimento publico. 28 Alii legunt *commeatibus.* Commeatus militum vel commeata, ſunt cibaria, & alimenta exercitus. 29 Beliſarius limitem omnem imperii reſtituit recteque ordinavit. 30 Collatores, qui poſtea dicuntur tributarii, conferentes tributa. vid. *Nov. de collatoribus* 128. 31 Qui tributa conferunt. 32 Ex his ſatis apparet, commentum eſſe quod Petr. Crinit. de honeſta diſciplina *lib.* 9. *cap.* 8. tradit, Beliſarium ab Imp. Juſtiniano ex livore occæcatum eumque ſtipem a viatoribus petiiſſe his verbis: *Obolum viator Beliſario concede, quem livor, non error afflixit.* vid. Alciat. *parerg. lib.* 4. *cap.* 24. Anſ. 33 Fuit enim recuperara a Vandalis Africa, duce Beliſario. 34 Vid. §. 4. *ſupr. h. t.* 35 Civitates & caſtra hic junguntur, ut ſuperius civitates & caſtella, §. 14. *ſupr. h. t.* 36 Scrinio ſacri laterculi, ſive Palatii. Sacro laterculo pro codicillis ſuarum dignitatum inferebant Duces, de quibus §. 8. *ſupr. h. t.* 37 Scriniis & officiis Præfecti Prætorio pro codicillis ſuarum dignitatum præſides inferebant. 38 Militaris ſcil. Duces militares inferebant pro codicillis ſuarum dignitatum ſcriniis magiſtri militum. 39 Notitia quid ſit, vid. *l.* 1. §. 8. *ſupr. h. t.* Galli *Eſtat.* Idem quod exemplum *d.* §. 8. *ſupr. h. t.* 40 Id eſt, horum homines. 41 Vid. *l.* 1. §. 8. *ſupr. h. t.*

[K] 3

lente,